DE CALCULO URINARIO
EXTRA URINARUM VIAS.

THESES
ANATOMICO-CHIRURGICÆ,

Quas, DEO JUVANTE, & Præside M. JOANNE-BAPTISTA-LUDOVICO-PETRO DUMONT, Artium liberalium & Chirurgiæ Magistro, *tueri conabitur*, ANTONIUS FARGEIX, *Claromont-ferrandensis, Artium in almâ Universitate Parisiensi Magister, Nosocomiorumque Castrentium olim Chirurgus, Theseos Author.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati, 6ª. mensis Septembris à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam. Anno R. S. H. 1766.


PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii Typographi.

M. DCC. LXVI.

R



D. O. M.

DE CALCULO
EXTRA URINARUM VIAS.

THESES

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

OMO naturæ decus, Creatoris ſpecimen, ſacraque divinæ mentis imago; etſi mirificè conditus, tantâ malorum catervâ diſcrutiatur ut niſi opportunum è Chirurgo acceſſerit auxilium, atræ necis falci continuò adducere-retur. Adſunt quidem quàm plurima ſanitatis reſtituendæ media; at pro fatali rerum humanarum vice, dùm unum prohibetur malum, ſæpiùs ſub alterâ ſpecie novum & quidem pejus exoritur. Graviſſimos inter morbos Calculi in veſicâ annumerantur: ipſis extrahendis præſtò eſt Lithotomia, quæ, etſi diverſimodè celebretur, quot & quantis

accidentibus ansam præbet? Inde enim Fistulæ, Urinarum retentio, ipsarum difficilis aut etiam impossibilis Excretio, Calculorum extrà Urinæ Vias formatio, &c. De hoc autem præcipuè morbo, præmissâ breviter partium structurâ, dicemus.

§. I.

ANTERIORE, inferioreque in trunci parte membranoso-spongiosus, cui nomen Urethra, canalis reperitur. Ista mentulæ pars, in viris, singulari modo inflexa, semini urinæque exitum præbet; in corporum cavernosorum inferiori sulco sita, à vesicæ collo ad penis extremitatem protenditur. Duabus præcipuè constat membranis: interna vesicæ continua, densa lævigata, humore stillante madida, pluribus perforatur canaliculis; externa vero minus compacta à textu cellulari vix differt. Illas inter membranas spongiosa jacet substantia, inæqualiter crassa, ab Urethræ bulbo procedens, exinde mirum in modum sparsa, totum ambit canalem, balanumque efformat.

BULBUS seu Urethræ protuberantia, est corpus oblongum, prostatæ proximum; membranaceo septo intus dividitur, quo mediante, erectionis tempore, bipartitus apparet.

IN Urethræ cavo, membranaceam versùs partem, conspicua adest eminentia: Verumontanum vulgò, seu caput Gallinaceum nuncupatur; duobus Excretoriis seminalium vesicularum osculis gaudet, proximèque prostatæ Excretorii ambiunt canales, lubricum in Urethram humorem diffundentes.

PROSTATA, corpus glandulosum, sub albidum, cordis complanati figuram æmulans, cujus basis posteriùs, apex verò anteriùs spectat, Urethræ principium ferè cingit. Aliæ adsunt Glandulæ, ut, Littrii, Cowperi, &c.

SEX circà partes supradictas annumerantur Musculi, Ischio-cavernosi, seu Erectores: à facie internâ Ramorum Ischiorum originem ducunt, & cavernosorum corporum principium concomitantes, cum iis ascendunt, & eorum unioni suprà penem inseruntur.

BULBO-cavernosi seu acceleratores, Musculi Penniformes,

Ani sphincteribus & triangulari ligamento inter ossa Pubis adherent, deindè in latum expansi, Bulbum & Urethram obtegentes, Cavernosorum corporum lateribus terminantur.

TRANSVERSI ab Ischiorum tuberositatibus ad Urethram, sub Prostatæ apice tendunt.

HIS Musculis quatuor addit Winslowius: (*a*) Prostatici superiores à facie internâ Rami Pubis internos propè obturatores oriuntur. Inferiores ab unione Ramorum Ischii & Pubis ad Prostatam quam obvelant, se se extendunt.

ACCEDUNT & alii (juxta eundem Winslowium 570) ab Ischiis propè & infrà Ischio-cavernosos ad Urethram propè Bulbo-cavernosos.

IISDEM ac aliæ corporis partes istæ operiuntur. Textus Cellularis hic, ut plurimùm, pinguedine destitutus est. Cutis laxa, tenuis, ab ano ad Scrotum lineâ saliente, Suturâ, seu Raphe bipartitâ, multis Glandulis Sebaceis pilorumque Bulbis donatâ, Scrotum seu Bursulam efformat; ista infrà penem pendens Bursula, Membranâ musculosâ, Dartos dictâ, intus dividitur, quâ roboratur, in duos loculos dividitur, extùsque corrugatur.

SPATIUM à Scroto ad anum, & ab utrâque Ischiorum tuberositate laterales habens limites, Perinæus nuncupatur.

PARTES jam laudatæ innumeris irrigantur vasis; arteriæ ab hypogastricis, pudendis, & cruralibus oriuntur.

PER ejusdem nominis venas sanguis revehitur. Nervi à sacris, lumbaribus, & intercostali ortum mutuantur.

§. II.

CALCULI licet Urinarii sæpiùs intrà Urinarum Vias efformentur, eosdem etiam quandoquè extrà easdem Vias generari apud Autores & Practicos pro certo habetur. Eadem est horumce Calculorum genesis & natura; sede tantum inter se differunt.

(*a*) Vid. Winslow. 574. & 575. Exp. Anat. *Traité du Bas-ventre.*

Si enim in quâcumque parte Urina ſtagnet & commoretur, tunc concreſcentibus ipſiùs particulis fixis & terreſtribus, jam oritur Calculus, novo Urinæ fluxu, morâque quandoquè mirum in modum adaugendus (*a*).

VARIA eſt horum-ce Calculorum ſedes, prout Urina hìc aut illìc, ſolutâ partium cohæſione, ſtillans commoratur.

HINC, modò in Scroto, modò in Perinæo, textuque Cellulari ſæpè-ſæpiùs producuntur. Capſulis peculiaribus quandoquè includuntur illæ concretiones, tunc incarceratæ nuncupantur; quandoquè dilatato textu Cellulari, liberæ fluitant: nunc multiplices intrà varias textûs adipoſi Cellulas diſtinctæ oriuntur; nunc è contra, unicæ majorem in molem concreſcunt: cæterùm, mole, ſoliditate, figurâ, numero inter ſe diſtinguntur.

RIMA quælibet, ſeu Fiſtula Urethræ, cujus os anguſtiſſimum, intrà textum Cellularem hiat, hujuſ-ce morbi cauſa annotatur proxima. Hæc autem Fiſtula vel ad partes Vicinas, integrâ cute, tantùm extenditur, tuncque interna ſeu incompleta nuncupatur; vel utrinquè patens Urethram & cutem ſimul erodit, & completa tunc habetur; nonnunquàm in plures Sinus abit, & in Clepſydræ modum Urinas fundit, parteſque Vicinas erodens diverſimodè exteriùs ſerpit.

REMOTAS inter hujuſ-ce mali cauſas recenſentur, ictus, lapſus, vulnera, abceſſus, ulcera circà Urethram, varii in Urethrâ obices, lues Venerea, Perinæi & Veſicæ punctio; ſed inter frequentiores non hìc omittenda Lithotomia præcipuè cum magno apparatu, nec-non intempeſtiva præcepſque Vulneris poſt operationem conglutinatio. Hanc equidem curandi normam, de rebus leviter & abſque doctrinâ judicans laudat imbecile vulgus; at quis rerum Chirurgicarum gnarus neſcit ſic conſolidatâ cute vulnus Veſicæ internum adhuc hians, Urinâ laceſſitum indurari, & in Fiſtulam abire; unde Fiſtulæ in Perinæo, Abceſſus, Calculi, &c. (*b*).

(*a*) Vid. in Act. Ac. Regiæ Chirurg. Clariſſ. Louis, *Sur les Pierres Urinaires formées hors des voies naturelles de l'Urine*, in quâ proponuntur exempla Calculorum mole majorum, in Perinæo, vel vicinis partibus.
(*b*) Hac de re conſulas Act. ejuſdem Ac. Reg. Chirurg. tom. 3. *Expé-*

Per ſpecillum aut digitis explorato morbo, Calculi exiſtentia, duritie & renitentiâ, dignoſcitur; habitâ ratione loci in quo morbus apparet, ipſiùs ſedes dijudicatur; ſi ipſius moles digitis compreſſa, æqualis videatur, totaque moveatur, unica pronunciatur; ſi è contrà in-æqualis, diviſa, tota ſimul prementi digito non cedat, tunc plures Calculi efformari poſſunt. Denique ſi quædam è ſupradictis cauſis morbum anteceſſerit vel concomitetur, tunc certiùs morbi natura, cauſaque elucidantur.

A ſtatu partis affectæ, ab ægri temperamento & ætate, à Calculi mole, ſede, figurâ, numero, & ab accidentibus deducenda prognoſis.

Habenda eſt etiam ratio cauſarum: nihil enim, vel ſaltem parùm periculi pertimeſcendum, ſi ab ictu, Vulnere, vel poſt Lithotomiam, oriatur Calculus in adulto ſanoque homine, Canali libero exiſtente, anguſtâque Fiſtulâ internâ; non item ſi ab Ulcere, nimiâ Urethræ eroſione, lue Venereâ, majori quodam in Urethrâ impedimento, Fiſtulâ complicatâ in plures exitus diviſâ, conſequatur; tunc enim morbus antecedens curandus, qui, cum ſit gravior, imò ſæpiùs curatu difficilior, ancipitem & periculoſam offert prognoſim.

Calculi nocentis extractio, præcipua ſanè indicatio curatoria, at manca foret curatio, niſi, extracto Calculo, Fiſtula interna conſolidaretur. Ut priori indicationi fiat ſatis, reſupino ægrotante, ritèque collocato, idoneâ inciſione inſtitutâ, pro artis legibus extrahitur Calculus. Deinde ut curationi perfectæ provideatur, vel Cereolis mollienda, vel Cauſticis rodenda, vel Scalpello incidenda ſunt Fiſtulæ ora: tuncque digerentibus, deterſivis, & exſiccantibus ad perfectam ſolidamque cicatricem Vulnus perducendum.

Varia licet admittantur media quibus Calloſa Fiſtulæ internæ ora evaneſcant, non unus idemque debet eſſe curandi modus; Cauſtica competere poſſunt Fiſtulæ internæ minori,

riences ſur la Lithotomie, pag. *646.* & *ſuiv.* necnon Fabricium Hildanum in Libro de Lithotomiâ, cap. 23. de horrendis ac pernicioſis quibuſdam erroribus qui..... à multis vulgaribus Lithotomis committuntur.

in quâ levior tantum callositas ; insidus sæpè ipsorum usus ; partium deperditionem auget , Fistulæque conglutinationi obstat ; ipsis ergo cautè utendum, imò sæpiùs abstinendum.

Si Fistula minor Vulnus Vesicæ consecuta fuerit, extracto Calculo, Cereolis in Urethram immissis potiùs emollienda. Ortâ sic leviori suppuratione, in Urethram immittatur Catheter cavum nudum, vel emplastro quodam idoneo obductum, tunc Urinâ versùs Fistulam non premente, ipsius ora cicatrice obturantur ; sicque tutior, benigniorque obtinetur curatio.

Fistula completa, Callosa magis, quæ in plures Sinus abit quibus depluit Urina, Scalpello meliùs curatur. Unicâ sectione Fistulæ callositates incidantur, conciliatâ suppuratione emolliantur, immisso posteà cathetere obturabuntur Sinus.

Si ab ulcere intrà Urethram Calculi formatio consecuta fuerit, post extractionem adhibenda sunt Cereola quibus Fistulæ ora emolliantur, & posteà cicatrice spontè approximabunt ; Fistula lue Venereâ complicata, præmissis remediis ad hunc morbum specificis, posteà eodem modo feliciter curatur. Fistula Lithotomiæ succedens, curabitur ut anteà ; at ut malum illud, post Lithotomiam, præcaveatur, continendus æger, ne intempestivè moveatur ; si cicatrice exteriùs jam procedente, fiat Urinæ stillicidium, tunc Cereolis & Cathetere utendum, Urinâque per Catheterem fluente, compressio exterior non negligatur. Deniquè pro variis casibus adhibitis remediis idoneis, post extractionem Calculi, Catheter & Cereola pensum absolvunt, morbumque ad curationem ducunt.

F I N I S.